

## VI

cum ducatu et expensis Domini *Belae*, nunc Regis VNGARIAE, vsque *Constantinopolim* peruenerunt. Ibi intrantes in mare, per triginta tres dies, venerunt in terram, quae vocatur *Sichia*, in ciuitatem quae *Matrica* nuncupatur. Quorum Dux et Populi se Christianos dicunt, habentes litteras, et Sacerdotes graecos. Princeps centum dicitur habere vxores. Omnes viri caput omnino radunt, et barbas nutriunt delicate; Nobilibus exceptis, qui in signum Nobilitatis super auriculam sinistram paucos relinquunt capillos, caetera parte capitis tota rasa. Vbi propter societatis spem, quam expectabant, quinquaginta diebus moram fecerunt. Deus autem dedit ipsis gratiam in conspectu Dominae, quae supra centum vxores Regis maior erat, ita vt mirabili eos amplecteretur affectu: in omnibus necessariis prouidebat. Inde progressi consilio et adiutorio praedictae Dominae, per desertum, (vbi nec homines, nec domos inueniunt,) diebus tredecim transiuerunt. Ibique venerunt in terram quae *Alania* dicitur, vbi Christiani et Pagani mixtim manent. Quot sunt villae, tot sunt Duces, quorum nullus ad alium habet subiectionis respectum. Ibi continuo est Guerra Ducis contra Ducem, Villae contra Villam. Tempore arandi, omnes vnius villae homines simul ad campum vadunt, simul et omnes metunt, et contiguo terrae spatio haec exercent: et quicquid extra villam siue in lignis aquirendis, siue aliis, operis habent, vadunt omnes pariter, et armati, nec possunt vllomodo pauci, per totam septimanam de villis suis, quacunque de causa egredi, absque periculo personarum: excepta sola die Dominica a mane vsque ad vesperam: quae in tanta deuotione apud eos habetur, quod tunc quilibet, quantumcunque mali fecerit, vel quotcunque habet aduersarios, securus potest, siue nudus, siue armatus, etiam inter illos quorum Parentes occidit, vel quibus alia mala intulit, ambulare. Illi qui Christiano ibi censentur nomine, hoc obseruant, quod de vase illo nec bibunt, nec